TUSSIS CONVULSIVA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

ANNUENTE INCLITA FACULTATE MEDICA

IN R. SCIENTIARUM UNIVERSITATE HUNGARICA

AD RITE CONSEQUENDUM

MEDICINAE DOCTORIS GRADUM

CONSCRIPSIT

EDUARDUS MINNICH.

Theses adnexae publice defendentur in aedibus
Universitatis mense Julii 1845.

BUDAE,

TYPIS J. GYURIÁN ET MARTINI BAGÓ.

1 8 4 5.

NEMES

NEMZETES ÉS VITÉZLŐ

CRAJCSOVICS JÁNOS

Ú R N A K,

SZABAD K. PEST VÁROSA POLGÁRÁNAK

MINDEN SZÉP 'S JÓ BUZGÓ PÁRTOLÓJÁNAK

MINT

KEGYES JÓTÉVŐJÉNEK

HÁLÁJA 'S TISZTELETE JELÉÜL

A' SZERZŐ.

Tekintetes Úr!

Azon három évi időszak, mellyet szeretetre méltó családja körében éltem, reám nézve a' legboldogabbak közé tartozik éltem tövisteli pályáján. Ezen idő alatt többször volt alkalmam Önnek nagylelküségét, érdektelen emberszeretetét 's azon készséget, mellyel a' szerencsétlenek keserveiben részt vett, szemlélni.

Én is azok közé tartozom, kik Ön kegyét tapasztalták, sőt hogy hosszas 's fáradságos törekedésim czéljánál vagyok, nagy részint Ön jóvoltának köszönhetem.

A' nemes tettek tisztelete ösztönözött azon gondolatra, hogy fáradozásim zsengéjet Önnek szenteljem. Vegye ezt szivesen! Ez, megvallom, csekélység; de Ön nemes tetteinek legszebb jutalmát magában az Öntudatban is fel leli. Ezen hódolat csak jele azon tiszteletnek 's háládatosságnak, mellyel Ön iránt viseltetik 's örökre viseltetni fog.

A' szerző.

Tussis convulsiva.

Tussis convulsiva Willisii, pertussis a Sydenham, Huxkam, Culen nominata, tussis ferina, canina, asinina, spasmodica, suffocativa aliorum, febris amphimerina tussiculosa quorundam; Gallis Coqueluche, Catarrhe ou Bronchit convulsive (Boisseau); Germanis Keuch,- Stick,- Krampf,- Brech-Husten, epidemischer Kinderhusten, Blauhusten nomine a colore faciei sub insultu livido desumto.

Morbus hic popularis antiquis minus cognitus fuisse videtur, licet nonnunquam regnasse sit censendus, hoc inde explicari potest, quod antiqui minus tractaverint morbos infantiles, quorum mentio vel apud Hippocratem vix occurrit.

Interdum per annos non conspectus hic morbus, subito caput extollit, provincias integras epidemiee pervagatur. Anno 1570 in Gallia et infantes et adultos teste Valeriola corripuit; Ballonius inter morbos anno 1578 epidemice regnantes hanc tussim quoque recenset, tum infantibus tum adultis infestam. Hufeland atrocissimam anno 1786—1787 grassari testatur; ego illam anno 1839 et 1842 observandi occasionem habui.

Definitio.

Tussis convulsiva est morbus contagiosus, plerumque epidemicus, infantes prae adultis plectens, vix unam ultra vicem in vita invadens. tussi vehemente, spasmodica, suffocationem minante se manifestans, cujus accessus ab exspirationibus tussiculosis, brevibus, imperfectis multis citissime insequentibus, cum subsequa inspiratione subitana profun-

dissima, sonum asinino mugitui similem edente incipiunt, vario brevi tamen tempore durant, et vomitu ut plurimum terminantur.

Symtomatologia.

Tria in hoc morbo distinquere licet stadia nempe: 1., Stadium catarrhale, rheumatico-catarrhale, febrile. 2., Stadium convulsivum, spasticum. 3., Stadium decrementi.

Symptomata stadii I. Tussis convilsiva initium summens a tussi catarrhali vix differt, obtusus enim est capitis dolor, coryza, sternutatio, oculi lacrymantes, facies rubra, vox rauca, tussis frequens sicca, vel seri quidquam efferrens, consvetis in catarrhali remediis non mitiganda, sensim increscens; intervalla concedit majora quam catarrhalis, unde malum futurum suspicari licet; appetitus imminutus, somnus turbatus, langvor, fatigatio sub motu; his saepissime febris se associat, pro diversa aegri constitutione et pro diversitate genii epidemiae regnantis jam mitior jam vehementior, quae saepe typum intermittentis quotidianae assumit. Stadium hoc ab aliquot diebus ad duas tresve septimanas excurrere potest.

Symtomata stadii II. Tussis nunc per iatervalla ferox convulsiva accedit, temporibus incertis citius tardius reccurrens, de nocte potissimum corripiens, quam aliquot jam paroxismos expertis nuntiant titillatio faucium, laryngis, pectoris, interdum pruritus frontis, dolor nuchae, oppessio ventriculi, summa spirandi difficultas, quae percipientes miseri ad parentes, custdes oculis dilatatis accurunt, aut proxima quevis objecta eorrepta firmiter tenent, hostem exspecturi; quidam manum utramque collo admovent, alii anxii inoposque consilii pedibus terram quatiunt, tussim jam jam erumpentem reprimere singuli conantur, qúae vero nolentibus tandem erumpit, succussionibus multis intercisa atque continuans, donec vix non omni aëre pulmo fuerit vacuatus, et inspiratio frustra saepius tentata cum impetu ac sono vocis asininae simili absolvatur. Durante vero sub summa anxietate tussi mu-

cus tenax naribus fluit, facies rubet, livet, lineamentis turbatur, oculi rubentes protuberant arteriae magis superficialiter sitae fortius pulsant, venae jugulares turgent, vasa capillaria quasi injecta apparent; non pectus solum, ut in catarrhali, spastice est affectum, sed universum corpus contremiscit, saepe sangvis e naribus, ore auribus prorumpit, alvus et urina invitis vel et insciis secedunt; sudor per universum corpus erumpit, manus sudore madentes frigent, prout et pedes, atque ubi paroxismus per unum alterumve minutum sic duravit, solvitur muco tenaci in fila ductili ex bronchiis educto, aut, quod frequentius fit, una cum ingestis per vomitum excusso. Interdum paroxismus interrumpitur post aliquot minuta rediturus, donec tandem vomitus finem illi imponit. Juxta Hufeland ad perfectam paroxismi solutionem semper vomitus neccessarius est. Ego in viro quadragenario 1839-o, una cum prolibus suis, quarum major natu 3-um annorum erat, pertussi laborante, vomitus vix recordor, nec proles sub omni insultu vomuerunt. Anno 1842-o in puero 9 annorum omnem paroxismum vomitu terminari vidi, in tribus sororibus eius natu minoribus, quarum ultima lactans erat, quaeve tussim tam vehementem non habuerunt, vomitus rarus erat.

Ex auscultatione durantibus insultibus instituta, apparuit aërem in bifurcatione bronchiorum detineri, ubi invincibili quodam impedimento ab ulteriori ingressu arcetur. Singularis illa in longum protracta acuta inspiratio in glotide obtingere videtnr.

Duratio insultus omnis ab uno minuto usque quadrantem horae variat. Aegri ab insultu liberati langvent, pectoris dolorem et spirandi difficultatem experiuntur, teneriores infantes plorant, sed opinione citius ad lusum revertuntur interruptum, aut cibum potumque assumunt, aut denuo obdormiunt, quodsi paroxismus noctu accesserat. In nonnullis organa respirationis tam irritabilia sunt, ut vel oscitationem tussis interrumpit, alii post cibum assumtum statim insultu corripiuntur. Qui paroxismos frequentiores cum vomitu junctos

experiuntur, vix non semper esuriunt, cibis et nutrimento semper privati. Atque paroxismi modo sibi sat similes incedunt, modo alternis diebus aut frequetiores sunt aut validiores; unde morbus hic febris amphimerina tussiculosa derominata; quae nunc ad febres intermittentss pertinens, cortici cedit, modo non pertinens eidem pertinaciter refragatur. Frequentiores sunt paroxismi noctu, quam interdiu, frequentes item mox post cibum assumtum. Complicatione nulla praesente aegri tempore intermissionum sat bono appetitu gaudent, nec viribus suis spoliantur nec jucunditatem quantumcunque vehementes sint insultus. Stadium hoc, malo quoad paroxismorum et numerum et frequentiam quotidie aucto a duabus ad 6 septimanas imo et per longius tempus perdurat.

Symptomata Stadii III. Ad initium hujus stadii insultus eadem quidem vehementia torquent, sed rarius accedunt, rarius item vomitus contingit, successive quoad vehementiam quoque remittunt, breviusve durant, singularis illa in longum protracta inspiratio sensim cessat, sputa antea tenacia fiunt crassiora, flavo viridescentia, mobilia; virium successiva fit refocillatio. Comisso vero errore diaetetico, suscepto perfrigerio, perpesso animi pathemate ira praesertim, mox recrudescit malum, paroxismis tum intensitate tum numero auctis, citius tamen plerumque quam prima vice mitigandis. Ex quo quidem, quantum systematis nervosi in hunc morbum sit imperium, satis patet. Stadium hoc per duas et ultra septimanas imo per menses durat. Atque sic universus morbus. faventibus saltem circumstantiis 40 diebus durat, secus per 4—6 menses excurrit.

Diagnosis.

Plurimum certe interest rectam pertussis diagnosim instituere, eamque a morbis analogis asthmate acutu Millari et angina membranacea distinquere. Nec res mihi nimis ardua videtur, nam qui vel semel pertussim observavit, eam cum alia tussi etiamsi fortissima haud confundet. Signum ma-

xime characteristicum tussis convulsivae est inspiratio illa singularis jam saepius commemorata vocem asininam imitans, illa tamen cum differentia, quod asinus vocem suam sub exspiratione formet, dum in tussi convulsiva sub inspiratione formatur. Scillicet corripiente paroxismo exspiratio fit inter breves sed continuos succussus, qui aëris inspirationem impedientes eo usque urgent, donec aër vix non omnis e pulmone sit expulsus, cuius portio in respiratione communi semper remanet, jam vero aegrotus instante suffocatione aërem cum impetu haurit, qui dum per per glotidem, quam constrictam miser percipit, vi magna urgetur, sonum istum acutum edit.

Distinquitur ab asthmate Millari:

a) Citius hoc quam pertussis deeurrit.

b) Hoc sporadice, illa vix non semper epidemice incedit.

c) Vox in astmate Millari profundu rauca et cava, in pertussi acuta vocem asininam aemulans.

d) Asthma Millari vomitu fere caret.

e) Hoc adulti vix laborant, quid quod ipsi infantes rarius hoc asthmate quam pertussi corripiantur.

Ab angina membranacea dignoscitur:

a) Pertussis decursum habet longiorem.

b) Intervalla libera concedit; angina febre majore stipata continuo tenet, viresque magis prosternit.

c) In angina tussi aut vomitu concrementa membranacea tubulosa ejiciuntur.

d) In hac continuus urens ad laryngem dolor, in pertussi vox singularis supra descripta.

A e t i o l o g i a.

Ad producendam tussim convulsivam, aeque ac ad quemlibet alium morbum generandum duplicis generis momenta causalia requiruntur, nimirum disponentia et excitantia. Quod ad dispositionis rationem pertinet notandum est dari aliquam

in hunc morbum dispositionem aetati infantili praeprimis, ob majorem eius irritabilitatem et sensibilitatem communem, quae saepe morbis praegressis, uti pneumonia, morbillis, scarlatina acuitur et exaltatur. Causis excitantibus adnumeratur aëris atmosphaerici constitutio, aër frigidus et humidus, subitanea temperaturae mutatio imprimis vere et autumno, atque contagium aliquod specificum. Constitutione peculiari atmosphaerae epidemica malum primario generatur et in epidemiam extenditur, contagio citra dubium in alios transfertur ac disseminatur.

Verno utplurimum tempore regnum adit, ad seram usque aestatem vel ad autumnnm etiam dominum exercens, interdum et hyeme nascitur, omni temperatura sub omni climate. Infantes a nativitate ad periodum dentitionis secundae praeprimis plectens, post 10-mum aetatis annum rarior, at nec adultis parcit, prout et ego illam in viro quadragenario supra memorato conspexi. Vix pluries quam semel idem individuum invadit. Est epidemica, omnes fere infantes alicujus pagi, urbis aut totius regionis etiam invadens. Secundum nonnullos etiam sporadiee incedit, sed et tunc ut plurimum multos ad semel plectit. Frank sporadicam non conspexit, Hufeland itidem dubitat eam sporadice incedere. Est porro contagiosa, hac in re eastae multorum observationes consentiunt, indoles contagiosa juxta Guersent eo major, quo morbi gradus altior.

Quod ad morbi causam proximam seu illius naturam pertinet, haec hodiedum adhuc latet, licet numerosae prostent de illa opiniones. Constat modo pertussim esse morbum diuturnum, maxime rebellem, contagiosum, sui generis et definiti decursus, partim contagio specifico, partim influxu epidemico generatur, initio celerioris, dein lentioris decursus. in primo stadio notae irritationis vel inflammationis specificae, in altero adfectionis nervosi, in tertio debilitatis et relaxationis membranarum mucosarum organa respirations vestientium; porro quod infantibus tinea capitis aut scabie laborantibus communiter parcat, quodve variolae tussim hanc

interrumpant. Hic tamen commemorare debeo me 1842. in tribus puellis supra nominatis varicellas vidisse, quin pertussis interrupta fuisset. Adsertum Astruc et Marcus de indole inflammatoria tussis convulsivae totam ejus naturam non complectitur, et nonnisi circa stadium primum pro parte concedi potest. Nomen bronchitis epidemicae, quo illam Marcus donavit experientia non confirmatur. Nec sedes morbi in ventriculo quaerenda (Huxham Stoll) ut ut egregia emetiocorum certis sub conditioribus virtus comprobata habeatur. Emeticorum enim actio non a sola pendet evacuatione, sed etiam stimulo nititur. Hinc in pertussi quoque etiamsi parum evaçuaverint aegroti, prodesse possunt contrastimulo, qui pulmonibus applicatur, modo scillicet antagonistico.

Prognosis.

Ex pertussi, horridum licet sistat aspectum, tanta plerumque vitae pericula aut sanitatis detrimentia non sunt. Nec tamen omnino caret periculo, nam sub quibusdam epidemiis, praeprimis si autumno aut hyeme oriatur, funera sat multa sternit. Vitae vero parcens tristes saepe effectus relingvit. Colorem quidem cachecticum, faciem tumidulam, langvorem tractu temporis fere inducit. Nec rarissimae sunt herniae, pectoris ac vasorum majorum vitia, dispnoea, haemóptoe, phthisis in dispositis, praecipue in illis, qui parentibus phthisicis asthmaticis progeniti sunt, dein rachitidis evolutio, memoriae labefactatio, amaurosis, epilepsia, hydrocephalus acutus, apoplexia ex turbata circulatizne facile explicanda. Majora ítem pericula minantur, si variolis, searlatinae, morbillis successerit. Gravius porro est periculum in illis, qui vermibus laborant, aut in quibus paroxismi cum haemorrhagiis incedunt. Gravidam si corripuerit, abortus subsequi potest. Infantes, in quibus paroxismus vomitu terminatur, communiter facilius morbum hunc superant, facilius item macilenti quam pingves. Proclivitas in recidivam adhuc in tertio stadio magna est.

Therapia.

Omnia fere therapiae adminicula contra morbum hunc adhibita fuere, et vix datur remedium aliquod potens, quod jam laudibus elatum, jam vero damnatum non fuerit. Maxime conveniens videtur esse, therapiam juxta singulas morbi periodos instituere, et praedominanti in his characteri: catarrhoso-inflammatoric, nevoso aut debilitatis statui accomodare. At non abs re esse censeo, quaedam de cura prophylactica praemittere. Sani removeantur e loco, ubi pertussis regnat, quodsi hoc fieri non potest, adminus cohabitatio sanorum cum aegris inhibeatur: lectus, vestes aliave utensilia aegrorum non usuentur a sanis, vitetur omne refrigerium, praeprimis subitanea temperaturae mutatio. Qua praeservativum commendatur etiam gestatio sacculorum, camphora, moscho, chamomilla imbutorum in regione scrobicali cordis, vel etiam cingulorum issdem ingredientiis impletorum; symptomatibus catarrhalibus tanquam signis prodromis sese manifestantibus exhibeatur emeticum (Hufeland).

Quod nunc ad therapiam adtinet, pertussis in primo stadio pro symptomatum et dtspositionis individualis ratione quà febris catarrhàlis jam levis ac simplex, jam gravis inflammatoria, in pneumoniam ac bronchitibem proclivis consideranda et tractanda venit. Quare et hic sangvinis depletiones universales aut saltem locales hirudinum ope, subsequo tamen stadio nervoso semper ob oculos habito, sunt instituendae, methodusque ceteroquin antiphlogistica solveus et evacuans, vel emolliens seorsim aut junctae adminstrandae. Alvus speciatim ecoproticis, magnesia, hydromelle infantum, electuario lenitivo, nisi liberrima sit, solvenda. Contraindicatione nulla praesente statim adinitium emeticum. I. P. Frank emetica vix praescribit in mali principio, sed in progressu, ubi aut primas viás aperte viderit oneratas, aut vomituritio frequens, vomitus spontaneus levans accesserit, aut stertor molestus pulmones muco obrutos docuerit, major vero pectoris dolor, tensio non adfuerit. Ultimo tamen in casu non

tam ad vomitum ciendum emetica praescribit, quam ad polmones per concussionem vomitus ope excitatam liberandos. Complicationes obtinentes quocunque stadio respiciantur oportet. In stadio secundo pertussis qua morbus spasmodicus cum eminenti membranarum mucosarum organa respirationis et digestionis vestientium affectione tractari debet. Praedominante uti plerumque sub hujus stadii initium, uberiore muci tenacis secretione, egregiam emetica exerunt virtutem, iisque qaandove repetendis, pituitam solventia subjungenda-interpolanda, ut sal ammoniacus, squillitica, sulfur auratum antim. tartar. stib. dosi refracta, infusum polygalae senegae ete. Statu pituitoso nervoso-spasticum fere aequante, eorumdem remediorum cum nervinis jam sedantibus narcoticis, vel alterantibus, jam errigentibus apta requiritur combinatio, quemadmodum sulf. aurat. artim. cum opio, extracto hyoscyami, pulv. Dow. ipecacuanha dosi refacta sola vel cum floribus zinci aut cum valeriana, moscho, vel et tart. emet. cum lapide cancrorum methodo Fothergillii. Hic pulveris ex tart. emet. grano uno et lapidum cancrorum drachma semis constantis granum infanti unius anni in cochleari parvo aquae aut lactis tempore inter jentaculum et prandium porrigi, hanςque dolsim quotidie augeri curavit, donec vomitus cieretur. Pulvis absque vomitu etiam efficax in specie diaphoresim et expectorationem movens, vix non omni stadio (in febrili modico nitro admixtus) egregius laudatur. Praevalenti autem, ut stadio altero ulterius progresso consvevit, statui nervoso, pro tota casus individualis ratione mox narcotica, uti praeter nominata etiam pulvis radicis belladonnae, infus. folior. bellad. aqua laurocerasi, amygdalar. amararum; mox labentibus praecipue stadio ulteriore viribus, nervina incitantia, ut valeriana, moschus, eastoreum, asa foetida, haec enematibus addenda, cum balneorum calidarum usu congrue opponuntur Laxitas insignis gummi ammoniacum ipsumque hepar sulfuris requirit, maxima, cum irritabilitate simul obtusa, et larga muci tenacis secretione cautum tincturae cantharidum usum guttam unam usque tres bis terve de die cum syrupo et mucila-

gine gummi arabici, sine vel cum tinctura opii, dosi infantis aetati ceterisque adjunctis probe accommodata, instituendum concedit. Omni in casu methodus simul prodest antagonistica et quidem per vesicantia epigastrio aut regioni dorsali inter scapulas applicita, per sinapismos surris appositos pediluvia acria cum cineribus aut decocto seminum sinapis, per enemata irritantia, ungventam Autenriethi regioni epigastricae ter de die inungendum donec, pustulae prodeunt. In tertio stadi pedetentim ad medendi rationem roborantem et restaurantem transeundum est. Indicationi huic satisfaciunt amara, nutrientia, tonica ut lichen islandicus, cortex Peruvianus; Hufeland dicit, quod, quo ocyus corticem exhibere potuerat, eo tutius aegri sanitati restituti sunt. At ardua certe res est tempus corticis exhibendi maxime idoneum determinare, proin in casu dubio cautum cum eo tentamen instituere juvat, quodsi nunc spirandi difficultas aucta, tussisque continua magis facta fuerit, aut dolor pectoris accesserit, a corticis usu recedere, tempusque opportunius expectare ratio svadet. Secundum Hufeland cortex cum antispasmodicis jungi debet; idem ex combinatione corticis cum laudano et tinctura cantharidum virtutem ejus augeri observavit. Balnea tepida parum aromatica non sunt spernenda, victus sit blandus, nutriens quidem, digestu tamen facilis; aër purus, moderate calidus. Summe utilis saepe est mutatio soli et commoratio in aëre rusticano.

Liceat mihi quaedam adhuc de puero jam saepius memorato attingere. Hic diuturnitate mali continuo vomitui juncto, ita, ut postremo nullum plane cibum retinere potuerit — summe debilitatus, exhibito ei ter quotidie infuso chamomillae atque victu blando tenui parvisve tantum ad semel portionibus concesso, brevi post pristinae valetudini restitutus est.

Theses.

1. Emeticum rite adhibitum, est remedium momentosissimum.
2. Dentitio pro causa multorum morborum immerito habetur.
3. Confidentia aegri summum therapiae adminiculum.
4. Arthritis est morbus a rheumatismo diversus.
5. Politiae medicae summa sunt humanitatem merita.
6. Diaeta ad morbos tollendos facile princeps.